



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 5. Mores huius regionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

REDITVS superiori sæculo, vt refert Philippus Cominæus, Du-
cum septingenta millia Ducatorum anni reditus erant. Nunc
autem Hispanus vulgò octingenta percipit, præter exæctiones, &
multa onera miseræ plebeculæ à Gubernatoribus imposita. Vnde
prouerbium; in Siciliâ Hispanos ministros atrodere, in Regno
Neapolitano comedere, in Ducatu omnia consumere atque de-
uorare.

COPIAE. Hic scribuntur vulgò tria millia peditum Hispanorum,
mille velites, sexcenti equites Cataphracti: quæ copiæ etiam
aluntur tempore pacis. Sed bello vigente, quod numquam de-
feruescit, longè maiores copiæ educuntur, & eò confluunt ex
Hispaniâ, & Regno Neapolitano, Comitatu Tirolensi, & aliis
locis. Tormenta bellica, atque arma hic tot seruantur, ut ad tute-
lam vniuersæ Italæ sufficere videantur.

PRINCIPES præcipui huius ditionis sunt, Marchio Marignani
ex Mediceâ Domo, Marchio Triuultius, Comes Borromæi, & ali-
quot alij.

NVM. 5. *Mores huius regionis.*

INGENIOSOS viros totus hic tractus alit, & maximè deditos ar-
tibus mechanicis; quare hic artifices locum dedere prouerbio:
euertendum esse Mediolanum ut vniuersæ Italæ prouideatur.
Lautè & splendidè vestiri volunt, quare hic plerique Biantis æ-
muli omnia sua secum portant. Minùs zelotypi sunt, minùsque
vindictæ appetentes quam reliqui Itali: mulieres operis Phrygij
peritissimæ sunt.

NVM. 6. *Principes Mediolanenses.*

ORIGINEM traxere Duces Mediolanenses ab Urberto & Co-
mitibus, vel Vicecomitibus Angeriæ, qui grauiter accepti sunt à
Friderico Ænobarbo Imperatore. Is Imperator destruxerat Me-
diolanum, & Vicarium apposuerat qui Lögobardiæ præcesset; Ma-
thæus cognomento Magnus ab Arnulpho Imp. an. 1294. Vicar-
rius constitutus est, qui Principum Mediolanensium auctoritatem
visus est firmare. Tandem Ioan. Galeatus III. Dux creatus est
à Venceslao, itemque Comes Angeriæ, & vniuersæ regionis ad la-
cum Verbanum. Genuit ille è Catharina filiâ Ioannis Regis Fran-
corum Valentianam quæ nupsit Ludouico Turonensi aliter Ande-

FFfff ij